

¶ *Selectæ aliquot Legum, atque Ordinationum Academicarum particulæ, quas D. PROCANCELLARIUS, quò magis hoc seculo ad neglectum aut desuetudinem vergere videntur, eò impensiùs à singulis (pro suo cujusque loco atque officio) observandas proponit, in virtute juramenti, & sub pœna quæ incumbit transgressoribus.*

1. SCholares omnes modestiam omnibus in locis colant: inferiores superioribus loco cedant, & debitâ reverentiâ prosequantur.

2. In Templo Scholísque nemo ausit sedilia conscendere; Nemo in publicis exercitiis indecorum strepitum edere, pedibus pulsando, pluteos cædendo, cachinnando, sibilando, insusurrando, aut indecenter excreando.

3. Dominicis Festísque diebus, dum conciones ante-meridianæ, pomeridianæque habentur in Ecclesia, B. *Mariæ*, nemo scholaris sub quocunque prætextu adeat conciones in aliis Templis.

4. In Templo B. *Mariæ* nemo infra gradum Magistrorum (nisi mensæ Sociorum Commensalis fuerit) intrare præsumat in aream Magistris destinatam, aut superiora ex utroque areæ latere sedilia occupare.

5. Nemo galero utatur, aut in Collegio, aut extra Collegium; exceptis Nobilibus aut Militum primogenitis. Graduati, cum pileis scholasticis, utantur etiam epitogiis: in publicis verò disputationibus, concionibus ad Clerum, supplicationibus, & congregationibus universis, habitu atque caputio (juxta solennem Academiæ formulam) Regentes insigniantur.

6. A Congregationibus Magistri Regentes, & Non-regentes sese non absentent; præsentes verò, nec discedant sine venia, nec disciplinam, gravitatémque tanti Senatûs, rixis, clamoribus, transcursibus, conglomerationibus, aut subselliorum scansionibus violent. Bedelli congregationes in singulis Collegiis singulas convocent, atque in Collegiis ibi, ubi omnes commodè audire possint.

7. Sermo Latinus tantùm audiatur tam in publicis conventibus scholísque, quàm in mensis Collegiorum, & familiaribus colloquiis.

8. Lectores publici omnes statis diebus, horísque diligenter prælegant, auditores lectionem aliquam ejus Professionis, cui assignantur, nè omittant: Decani Collegiorum monitores septimanatim singulos singulis scholis Artium constituant: Monitores statim finitâ lectione, schedulam absentium, exeuntiúmve (pro suo cujusque Collegio) alteri Bedellorum tradat sub pœna Statuti: Bedelli septimanatim deferant ad Procancellarium, sub virtute juramenti.

9. Inceptores, Baccalaurei, Quæstionistæ, Sophistæ omnes, Moderatores præcipuè, & Disputantes, ab omnibus invitationibus, commessationibus, & compotationibus, (tam publicis quàm privatis) omnino abstineant, sub pœna suspensionis ad annum ab omni gradu suscepto, & suscipiendo.

10. Ad publicas Magistrorum disputationes, ut exeant è Collegiis, redeántque honesto comitatu stipati, Decani Collegiorum curent: Baccalaureorum atque Sophistarum ut intersit sufficiens numerus Procuratores videant.

11. In Disputationibus Magistrorum, Baccalaureorum, Sophistarum, nulla neque Oratio, neque quæstionum Explicatio, à quoquam, (Theologis, Juris-consultis, & Medicis exceptis) de Scripto legatur, sub pœna quinque solidorum, toties, quoties, inter Procuratores & Bedellos dividendorum.

12 Nemo scholaris (publicis privatísque Officiariis exceptis) forum frequentet, vel diutius in plateis moram trahat, aut in tabernas, cauponas, diversoria, officinas pætivendulorum, ædésve privatas (nisi justa de causa per Procancellarium approbanda) sese immittat.

13. Omnes Sacris ordinibus initiati cujuscunque gradûs aut facultatis in Academia fuerint, vestiantur modestè prout Clericos decet, specialiter collaria lintea in humeros indecenter expansa non habeant, nec cæsariem nimis promissam alant: Cæteri omnes scholares, tam graduati, quàm non-graduati iis induantur vestibus, quæ nec superbiâ, nec sumptu luxuriant: Diploïdas nullâ parte fenestratas gerant: Ocreati simul & togati, sive cothurnis candidísve tibialibus ornati nè incedant.

14. Nemo canes venaticos alat, néve bombardis utatur, aut retia tendat volatilibus.

15. In Festivitate Natalitiâ nemo cum lychnis, aut larvis, néve cum tubis, aut tympanis exeat è Collegio suo.

16. Nemo se intromittat in solennes Conventus (quos Sessiones aut Assizas vocant) aut in lustrationes armorum, aut in vicinas nundinas, nisi priùs petitâ & obtentâ veniâ à Procancellario, aut Præfecto Collegii in quo commoratur.

17 Quæstionistæ in Scholas à Patre producti, Prævaricatores etiam omnes, & Tripodes, & alii Disputantes, à mimicis gesticulationibus, obscœnitatibus, Anglicani sermonis ineptiis, dicteriisque omnibus abstineant, sub pœna suspensionis, vel (si atrocitas facti postulaverit) expulsionis.

18. Portæ Collegiorum horis statutis claudantur: & nemo scholaris extra Collegium in privatis ædibus cujuspiam præsumat pernoctare.

JACO. FLETEWOOD *Procan.*

Novemb. 24. *Anno Dom.* 1663.